

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De
Vnionibvs Electorum S.R.I.**

Hofmann, Johann Andreas

Ienae, MDCCLII

VD18 12896357

Capvt IX. De De Avri, Argenti Et Aliarvm Speciervm Mineris.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18247

§. II. Adiicentes expresse, & edicto Imperiali perpetuo valituro, eadem auctoritate & de praemissae potestatis plenitudine, decernentes, vt, quemadmodum in praedicto Regno Bohemiae, a tempore, cuius contrarii non habetur memoria, iugiter obseruatum existit: Ita nulli prorsus Principi, Baroni, Nobili, militi, clienti, Ciui, Burgensi seu Rustico, nulli demum personae seu incolae Regni Bohemiae saepe dicti, cuiuscunque status, praeminentiae, dignitatis vel conditionis existant, vel existat, a quibuscunque processibus, sententiis interlocutoriis vel definitiuis, siue praeceptis Regis Bohemiae, aut quorumlibet suorum iudicum, nec non executionibus eorundem, contra se in regali iudicio seu coram Regis, regni seu praedictorum iudicum tribunalibus factis aut latis, habitis vel ferendis in antea, seu fiendis, liceat ad quodcunque aliud iudicium appellare. Prouocationes quoque seu appellationes huiusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant, & appellantes ipsi poenam perditionis causarum ipso facto, se nouerint incurrisse.

CAPVT IX.

DE AVRI, ARGENTI ET ALIARVM SPECIERVM MINERIS. (*)

§. I.

Praesenti Constitutione in perpetuum valitura, statuimus ac de certa scientia declaramus, quod Successores nostri, Bohemiae Reges, nec non vniuersi & singuli Principes Electores, Ecclesiastici & Seculares, qui perpetuo fuerint, vniuersas auri & argenti fodinas atque mineras stanni, cupri, plumbi, ferri & alterius cuiuscunque generis metalli, ac etiam salis, tam inuentas, quam inueniendas imposterum quibuscunque temporibus, in regno praedicto, ac terris & pertinentiis eidem Regno subiectis, nec non supradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis, ac

(*) Quaedam MSCta habent adhuc quaedam verba, nimirum *aliorumq. generum mineris ac salinis: de Iudaeorum incolatu de vestigalibus.*



ac pertinentiis suis, tenere iuste possint, & legitime possidere, cum omnibus iuribus nullo prorsus excepto, pro vt possunt seu consueuerunt talia possideri §. 2. & 3. Nec non Iudaeos (*) habere, telonia in praeterito statuta, & indicta percipere. Quodque progenitores nostri, Reges Bohemiae felicis memoriae, ipsique Principes Electores ac progenitores, & praedecessores eorum, legitime potuerint vsque in praesens, sicut hoc antiqua, laudabili, & approbata consuetudine diuturnique ac longissimi temporis cursu, praescripta, noscitur obseruatum. (**)

CAPVT X. DE MONETIS.

§. I.

Statuimus praeterea, vt Regi Bohemiae successori nostro, qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo, illustris memoriae Bohemiae Regibus (liceat), nostris praedecessoribus, licuisse, & in possessione pacifica continua ipsos fuisse iuris subsequenti, videlicet, monetas auri & argenti, in omni loco, & parte regni sui & subditarum ei terrarum, & pertinentiarum omnium, vbi Rex ipse decreuerit, sibi que placuerit, cudi facere, & mandare sub omni modo & forma, atque in regno ipso Bohemiae, in his ad haec vsque tempora obseruatis (**). §. 2. Quodque futuris perpetuo Bohemiae Regibus, hac nostra Imperiali Constitutione & gratia perpetuo valituris, a quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comitibus, & personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones, praedia siue bona liceat emere, comparare, seu in donum vel in donationem, ex quacunque causa, aut in obligationem recipere. Sub talium terrarum, castrorum, possessionum, praediorum, seu bonorum conditione consueta. Vt videlicet propria recipiantur, vel comparentur, vt propria, libera, velut libera, (&) ea, quae dependent in feudum, similiter emanantur in feudum, seu comparata taliter teneantur. Ita tamen, quod

Kk

ipfi

(*) *Policey-Ordnung* A. 1377. tit. 20. R. I. 1530. tit. 22. §. 1.

(**) *Capit. Caroli V. & Caroli VI.* art. 8.

(***) R. I. 1551. §. 52. 1570. §. *alsdenn* 1582. §. 72.

